



Misc. 6^o Q.

Kat. Misc. I, 63.



Q. D. B. V.

DISSERTATIO THEOLOGICA,

DE

POLYGAMIA SIMVLTANEA
ILLEGITIMA,

INPRIMIS ETIAM EX NVMERO HOMINVM VTRIVSQUE
SEXVS IN TELLVRE FERE AEQUALI,

QVAM

SVB VMBONE

VIRI SVMME REVERENDI, EXCELLENTISSIMI, AMPLIS-
SIMI, DOCTISSIMI

SIGISM. IAC. BAVMGARTEN,

S. S. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF.
PVBL. ORD.

PRAECEPTORIS AC PATRONI SVI AETERNVM DEVENERANDI,

D. SEPT. MDCCXXXIX.

ERVVDITORVM EXAMINI PVBLICE SVBIICIET

AVCTOR

BENIAMIN CHRISTOPHORVS HERMANN,

GRÜNEBERGENSIS MESO-MARCH.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
LITTERIS IOAN. CHRIST. GRVNERTI, ACAD. TYPOGR.
RECVSA MDCCXLIIX.

(5)

DR. RICHARD THEOLOGICAL

OF

POEYDAMIA S. M. T. A. N. A.

LIBRARY

INSTITUTIONAL

OF THE

UNIVERSITY

OF THE STATE

SICISM JAC. BA WIGART KN.

& THEOLOGICAL

FRANCIS

OF

ERDITORE

AND

BENJAMIN CHRISTOPHORUS FERMAN

CHURCHMAN

W. A. M. P. T. R. E. T. I. C. A.

LIBRARY

OF THE





I. I.

PROOEMIUM.

Quæ in hac dissertatione sistimus meletemata, materiam concernunt, quæ iure suo pomi Eridos nomen sortitur. Quot enim capita, tot sensus hic fere inueniuntur. Pars polygamiam omnino, alii secundum ius naturæ licitam; pars omnino, alii in nouo tantum foedere prohibitam declarant, aliique aliam in hac re fouent sententiam. Licet autem *Doct. Treuer* in adnotationibus ad *Puffendorff* de officio hominis et ciuis p. 410. ponat: optandum esse, vt tandem quiescerent scripta tot eristica circa hanc materiam, cuius non tantum controuersia parum utilitatis habet, quod de eius, quod tot iuribus interdictum est, licentia frustra disputetur, sed etiam maxima eius pars ad logomachias circa terminum iuris naturæ referenda, iudicauimus tamen, operam non male locatum iri, si specialiori tractatione haec materia ex fontibus suis eruatur lucique tradatur. Quod si enim argumentatio *Doctiss. Treueri* valeret, quid opus esset iure naturæ, legumque naturalium probatione, quæ per leges civiles iam constitutæ sunt? Non disputamus de facto, sed de iure, Duplicem vero nobis proposuimus finem, vt thesin et antithesin figillatim tractaremus. Prius negotium quod attinet, Cap. I. præcipua, quæ pro monogamia alias afferri solent argumenta, succincte perlustrauimus: deinde primarium nostrum

strum propositum fuit, vt monogamiam deduceremus ex aequalitate numeri hominum vtriusque sexus. Hoc argumentum a pluribus detectum et indicatum, sed non satis adhuc applicatum est, licet rem ex legibus naturalibus strictè dictis omnium maxime conficiat. Vt vero asserto nostro fidem faceremus, Cap. II. exhibui catalogum aliquem satis succinctum, alicubi natorum vtriusque sexus hominum, interdum etiam mortuorum: lectorum veniam rogans, quia opinione celerius discedere coactus sum, adeoque relationes, quas aliunde petieram, expectare non potui. Ansam itaque omnibus et singulis dabo vterius inquirendi in doctrinam, quam non nisi mutilam sifterelicuit. Cap. III. inveniuntur probationes, huic phænomeno superstructae: et Cap. tandem IV. eorum argumenta, qui contrariam vrgent sententiam, sincere allegare, et breuiter ad ea respondere allaborauimus. Circumspeximus in primis auctorem aliquem classicum, ex quo talia argumenta desumeremus: et certe inuenimus, palmam in eo omnibus praeripere sic dictum Daphnaeum Arcuarium, seu potius Laurentium Begerum, in tractatu: *kurtze doch unpartheyische und gewisserhafte Betrachtung des in dem natur und göttlichen Rechte gegründeten heiligen Ehestandes, in welcher die seither strittige Fragen vom Ehebruch, der Ehescheidung, und sonderlich von dem vielem Weibernehmen mit allen beyderseits gegebenen Beweisthümern dem christlichen Leser vorgestellt werden*, qui coloratis suis argumentis multorum animos ita expugnauit, vt haec argumenta satis firma & infringi nescia esse sibi persuadeant. Quae contra singulas probationes struuntur exceptiones, ea scholiis pleurumque annexis inclusimus. Iudicio autem lectoris eruditi relinquimus, in quantum metam, quam nobis posuimus, in sequentibus attigerimus.

CAP.

CAP. I.
PROBATIONES DE ILLEGITIMA POLYGAMIA IN GENERE.

§. I.

Matrimonium est societas hominum ad sobolem procreandam et educandam. Ergo non datur matrimonium vnus hominis, plures semper requiruntur; iique diuersi sint sexus, est necesse. Quid sit matrimonium?

*) Haec definitio numerum hominum in hac societate viuentium nondum intimat, ne probandum iam supponamus.

**) Qui praeterea constituuntur fines matrimonii, recte nominantur secundarii. Restinctio libidinum huius finis primarii est consequens; et mutuum adiutorium vitae inseruit commoditati tantum, quia aequae bene hoc mutuum adiutorium ab hominibus eiusdem sexus praestari posset, cum e contrario finis primarius vitae concernat necessitatem. Nec obstat, quod matrimonium non ea semper intentione ab omnibus et singulis ineatur. Sicut enim finis primarius ciborum et potuum, qui inseruit conseruationi hominis, non tollitur, si quis ad alium finem iis utitur, ita etiam finis matrimonii primarius talis esse non cessat, si a nonnullis non intenditur. Possunt autem omnes hi fines oraculis diuinis confirmari. 1) Procreatio sobolis ex Gen. 1, 28. Crescatis et multiplicemini: 2) educatio. et impleatis terram, quod sine educatione fieri nequit. 3) Mutuum adiutorium; Gen. 2. 28. non bonum est, esse hominem solum, faciam ei auxilium. 4) Restinctio libidinis 1 Cor. 7, 2.

§. II.

Matrimonium duorum hominum, est *monogamia*: *polygamia* vocatur matrimonium plurium quam duorum hominum. *Polygamia* plurium masculorum, *polyandriae*, plurium feminarum, *polygyniae* nomine insignitur. *Polygamia* *simplex* si dicatur, ubi plures sunt coniuges alterutrius tantum sexus; erit *composita*, ubi vtriusque sexus plures sunt. Praeterea *polygamia* pro diuerso numero coniugum potest esse

Bigamia, Trigamia &c. polygamia vel *uniuersalis* esse potest, si singuli homines essent polygami: vel e contrario *particularis*. Polygamia tandem vel *simultanea* est, vel *successiua*: Vnde tot leges conciliorum de digamis, trigamis &c. qui secundas, tertias &c. nuptias contrahunt.

Harum diuersarum polygamiae specierum polyandriae et polygyniae, cum par sit ratio, cur eas in frequentibus distinguamus, opus non habemus: sed quae in genere de polygamia euincemus, ea etiam legitime ad eius species applicari poterunt. Nobis tamen iam praesertim res est cum polygyniae defensoribus, cum polyandria ob peculiaria incommoda haud facile se cuidam emunctioris naris homini probare possit.

§. III.

Probat. I. a
fine.

Finis matrimonii est procreatio aequae ac educatio sobolis (§. I). Quaecumque ita media huic fini plene obtinendo sufficiunt, ea erunt optima, pauciora aut plura non sunt optima. Pauciora finem plane non consequuntur: si autem plura ponas, quam ad finem obtinendum requiruntur, quaedam eorum saltem non facient ad finem obtinendum, hinc prorsus non sunt media, multo minus media optima.

§. IV.

Matrimonium duorum hominum sufficit ad finem suum plene obtinendum (per exper. et princ. Physiol.); ergo est medium optimum (§. III): hinc natura ad illud nos obligat. Cumi itaque polygamia non possit esse medium optimum: per naturam ab illa auocatur.

Notandum probe hic est 1) utrumque finem primum simul intelligendum esse; 2) numerum masculorum et feminarum aequalem infra probandum, insigne huic probationi pondus addere, quippe quo id saltem indubium est, finem matrimonii nullo modo melius obtineri posse per polygamiam quam per monogamiam.

§. V.

Neque minus finis matrimonii per polygamiam multis modis impeditur, hoc est, media pauciora sunt, quam ut fini

fini obtinendo sufficiant. Vt enim taceamus, ne ipsam quidem procreationem sobolis a singulis commode obtentum iri licita et introducta polygamia, praefertim alter huius societatis finis, qui educatione liberorum absoluitur (§. 1), negligendus aut est plane, aut saltem difficilior euadit, nec debito modo obtineri potest. Educatio enim est actio; actio supponit vim, vis minuitur a quo paucioribus ad quo plura extenditur. Iam vero in polygamia vis alterutrius tantum parentis ad plures liberos minor existit, quam in monogamia vis vtriusque parentis ad pauciores liberos: ergo minor est etiam actio educationis. Hinc monogamia finem matrimonii rectius consequitur quam polygamia.

Euripides in choro: *πνοιᾷ δ' ὅταν φέρασι ναυτίλῃς θοᾷ κατὰ πηδάλιον, διδυμα πραιπίδων γνῶμα, σοφῶν τε πλήθος ἀδελφείων, Φαυλοτέρας φρενὸς αυτοκρατῆς. Ἐνὸς ἂ δὴναιμὸς ἀνά τε μέλαρα κατὰ τε πολίας, ὅποταν ἐρεῖν θέλωσι κλισίον.*

§. VI.

Nequis vero obiiciat, quod in polygamia defectus virium alterutrius parentis suppleatur viribus plurium alterius sexus hominum. Nam hi plures coniuges, siue sint mares siue feminae, perinde est, aut singuli etiam reliquorum liberis educandis, aut tantum suis operam dant. Si posterius, valet §. antecedens eiusque ratio adducta, respectu virium alterius coniugis pluribus liberis applicatarum. In priori casu autem, 1) si etiam omnia legitime instituerentur et administrarentur, quia membra singula singulorum educationi student, non maior est haec vis admodum diuisa, quam si quodvis membrum suorum tantum liberorum curam susciperet, adeoque et hic casus iam pertinet ad antecedentem Praeterea 2) educatio tali modo instituta minus recte procederet. Plura enim haec membra cum munere educandorum liberorum omnium fungeretur, quodlibet secundum regulas communes agere deberet, hae, quia singulorum inclinationes

diuer-

diuersae, interdum sibi repugnarent. Ne dicamus 3) secundum instinctum naturalem suis maxime fauendi liberis singulos suos prae ceteris eleuare conaturos esse. Et 4) respectu eorum parentum, quibus curae supellex est, legitima educatio saepius cessaret.

Si communis cura omnium liberorum aliis traderetur, fieret illud contra instinctum et leges naturae, nec tali industria institueretur, quam a parentibus.

§. VII.

Cum *superior* sit, actiones alterius determinans; *inferior* autem, qui actiones iuxta voluntatem superioris attemperare tenetur, facile patet 1) hanc actionum determinationem tam immediate quam mediate fieri posse, 2) quia ignoti nulla cupidus est, voluntatem superioris non nisi reuelatam obligare.

§. VIII.

Probat. II.
ab institutione.

Institutio est determinatio status, in quem plures homines succedere debent. Quae si fiat a superiore, cuius voluntas reuelata cognoscitur (§. VII), non solum est via tutissima, qua incedere possunt inferiores, verum etiam vim habet obligandi. Superior enim hanc nec aliam status cuiusdam determinationem eligens et declarans, eam voluntatem suam de subditorum actionibus reuelat. Voluntas vero superioris cognita est norma actionum inferioris: ergo talis institutio superioris obligat inferiores, seu habet vim obligandi. Quicumque ergo re aliqua utitur contra talem institutionem superioris, agit contra voluntatem eiusdem, hinc eum priuat eo, quod ei debet, ergo eum laedit.

§. IX.

Deus est auctor matrimonii 1) quia coniuges creauit Gen. 1, 27. 2) fines constituit (§. I. schol.); 3) primos parentes copulauit Gen. 2, 22. 4) iis benedixit Gen. 1, 28. ergo hunc statum determinauit. Coniunxit autem non solum duos tantum homines,

homines, verum etiam intendit, ne plures vnquam sociarentur. Huius asserti fidem nobis faciunt 1) verba Gen. 2, 24. adhaerebit maritus vxori suae, non vxoribus suis. Vocem enim **אִשָּׁתוֹ** hic non esse propriam sed appellatiuam, praecedentia verba aperte produnt, cum de Adamo non dici potuisset, cum patrem et matrem relicturum; 2) ex confirmatione in nouo foedere passim obvia, praesertim vbi legitur, quaelibet mulier suum maritum, maritus suam vxorem habeat 1 Cor. 7, 2. Col. 3, 18. 19. Eph. 5, 22. 25. Deus vero simul supremus est legislator 1 Tim. 6, 15. Iac. 4, 12. ergo haec institutio habet vim obligandi homines vt inferiores, ad monogamiam. Qui ergo cum pluribus matrimonium iuit, Deum laedit (§. VIII).

§. X.

Hoc argumentum maius robur sibi acquirit, si simul ad perfectionem auctoris, qui coniugium instituit, reflectatur. Deus enim est sapientissimus, optima optimis finibus media iungens. Quod si ergo duos diuersi sexus creans ad matrimonium, cum per omnipotentiam plures simul potuisset producere, non optimum ad optimum finem medium elegisset: aut non voluisset, aut non potuisset. Vtrumque contra summam eiusdem perfectionem

§. XI.

Qui ergo respectu matrimonii hanc institutionis rationem negligunt, non solum negant summam Dei perfectionem, et voluntatem proportionalissimam, verum etiam ente perfectissimo perfectiores se fingere non erubescunt, siquidem satius iudicant polygamiam exercere, quam Deus non cognouit optimum ad finem medium.

Augetur vis argumenti, si obseruetur in prima institutione huius societatis, primoq. matrimonio ad celeriolem generis humani maioremque propagationem et amplificationem magis necessariam videri potuisse polygamiam, quam proinde Deus certo ordinaturus fuisset, si eam his finibus optimis obtinendis accommodatissimum medium esse perspexisset.

B

§. XII.

§. XII.

Hanc consequentiam legitimam esse, luculentissime saluator noster Matth. 19. commonstrat, qui phariseis, quærentibus, an liceret vxori ob qualemcunque causam libellum dimissionis dare, respondebat: nonne scitis, qui in initio hominem fecit, *ἄρσεν καὶ θήλυ ἐποίησεν αὐτός.* i. e. non plures alterutrius aut vtriusque sexus homines, sed, per emphasin numeri singularis, non nisi vnicum cuiuslibet sexus subiectum. Et porro v. 5. *ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.* Vbi ita concludit 1) Deus potuit plures creare; 2) sed non creauit; 3) rationem itaque huius potissimum electionis habuerit necesse est, 4) haec non nisi in summo eius intellectu, in summa omnium nexuum perspicientia quaerenda est, quam sequitur voluntas proportionatissima optima quaeuis semper eligens; 5) haec habet vim obligandi singulos homines; 6) illegitima ergo est polygamia.

* Hugo Grotius de Iure Belli et Pacis L. II. C. IX. 9, 3. putat, nouam hic a Christo conditam legem, non vero restitutam, quam Deus rerum primordio dederat. Sed cum ipse fateatur, satis ex hac institutione apparere, quid optimum sit Deoque gratissimum, et hinc sequi semper egregium ac laudabile, legem, licet non strictam, quia optimum est, admittere tenetur iam inde a primordio rerum.

** Arcuarius hoc dictum p. 75. ita explicare satagit, vt supponat, in polygamia non vnum sed plura esse matrimonia, scilicet pro numero vxorum. Et tunc vocem *οἱ δύο* interpretatur in singulis matrimoniis duos, adeoque in polygamia binos semper coniungi *εἰς σάρκα μίαν.* Sed huic explicationi obstat 1) non commode dici potuisse maritum adhaesurum vxori suae, sed vxoribus suis; 2) omitti debuisset articulus *οἱ*, et poni *τέτων δύο ἔσονται εἰς σάρκα μίαν*; 3) maritum tunc futurum *εἰς σάρκας πολλὰς.* Rectissime itaque Godofr. Pflaume in diss. de polygamia sub praesid. Titii habita p. 27. iudicat, plus argutiarum quam ponderis in illa ratione latere.

§. XIII.

Prob. III. *Maius* est, quicquid aliud et praeterea aliquid continet: eiusque correlatum *minus*. Ergo polygamia est maius, quam matrimonium aliud post factam separationem a coniuge prior
ri

ex Matth 19,
9.

ri. Nam in utroque casu duplex saltem est coniux, in polygamia vero praeterea usus coniugum locum habet, qui in eiusmodi separatione cessat.

§. XIV.

Quaecunque ex immediatis sacrae scripturae assertis per legitimam consequentiam deducuntur, non minus pro divina reuelatione habenda sunt, quam quae expressis verbis leguntur, adeoque etiam si propositiones sunt practicae, nos obligant. Iam vero a minori ad maius negativae firmissima, si qua alia, est consequentia. Ergo si matrimonium post separationem spontaneam ab uxore minus est aliquid, quam polygamia (§. XIII); ex asserto Christi Matth. 19, 9. ita argumentatur: *Si nequidem matrimonium post talem separationem licitum est, multo minus polygamia pro legitima haberi unquam potest.* cf. Illust. Heineccii Ius Gent. L. II. §. 39.

Arcuarius p. 79. statuit, non nuptias cum alia, sed illegitimum divorcium constituere peccatum, quod Saluator loco citato carpit. Sed tunc non potuisset dici adulterium. Conatur quidem et hoc probare ex etymologia vocis adulterii generaliori, sed haec etymologia non sufficit in explicanda Scriptura Sacra. Ne vnicus quidem locus allegari potest, quo vox adulterii tam latam significationem obtineat.

§. XV.

Cum finis huius societatis sit *commoda et tranquilla vita*, Probat. IV. haec vero non possit non impediri per polygamiam, intestinorum bellorum matrem foecundissimam, causa talis confusionis et discordiae euitanda est. Rationes huius discordiae etiam vid. in Ill. Heineccii Iure Gentium. L. II. §. 38. schol.

Euripides in Andromacha: ἐδὲ γὰρ καὶ ὄν, δ' οἶν γυναικῶν ἄνδρ' ἐν ἡλίᾳ ἔχειν, ἀλλ' εἰς μίαν βλέποντες εὐνάϊαν κύπρην στέργουσι, ὅστις μὴ κακῶς οἰκῆν θέλει.

Et in choro: ἐδὲ πότ' ἂν δίδυμα λέκτῃ ἐπαινῆσω βροτῶν, ἐδ' αἰμ-Φιμάτορας κόρης, ἔριν μὲν ὄκων λύσμενεις τε λύπας.

§. XVI.

Praeterea hoc liquido constat ex praecipis clarissimis, Prob. V. ex quae 1 Cor. 7, 2.

quae passim in S. Scriptura, limpidissimo illo veritatum diuinarum fonte inueniuntur. Sic enim I Cor. 7, 2. verba ante iam allegata legimus: *Διὰ τῆς πορνείας ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἔχεται, καὶ ἕκαστη τὴν ἑαυτοῦ ἄνδρα ἔχεται.* Paulus antea dixerat, praestare feminam non nubere. Hoc est 1) coelibatum in se post totalem naturæ humanæ corruptionem nonnullis commodis gaudere, 2) praesertim tunc temporis vbi haec scripta sunt, ob persecutiones christianorum multiplices, et incommoda sic cum coniugio connexa. Et tum hoc, quod nobis calculum addit, comma annectit. Quasi diceret: Quia vero hac ratione scortationi et aliis impuritatibus generibus facile ansa praebere posset, fatius omnino est, et hoc tempore matrimonium inire, quam peccatis se contaminare. Cum vero monogamia etiam omnibus hisce peccatis obex poni possit, quilibet etiam sua vxore, vxor quaelibet suo marito contenta sit.

Arcuarius p. 144. seq. ad infringendum hoc dictum contendit, si legitur *ἕκαστη τὴν ἑαυτοῦ ἄνδρα ἔχεται*, hoc non impedire, quo minus vnus maritus pluribus vxoribus communis esse possit, siquidem plures serui vnum dominum suum vocare possent, sed mera est ambiguitas et confusio phrasum: plures serui communem dominum suum vocare possunt, et singuli serui suum habeant dominum. Sicuti enim si dicatur, singuli domini suum seruum habeant, nemo per naturam linguæ hoc aliter interpretari potest, quam quilibet vnicum habeat, ita etiam simili modo explicari debet phrasis: singuli serui suum habeant dominum, aut singulae vxores suum habeant maritum, mariti singuli suam vxorem. Confutatur ergo Arcuarius significatu vocum: *ἕκαστος* et *ἑαυτοῦ*.

§. XVII.

Si quis obiiciat, hoc praeceptum tantum quadrare ad persecutionis tempora, ob incommoditates peculiare ex polygamia tum temporis resultantes, non vero ad moderna tempora: ei non solum opponimus quas supra adduximus, et infra adducemus probationes, verum etiam in specie respondemus, Paulum per vocabulum *ἑαυτοῦ* non tantum intelligere, quam

quam quisque habeat vxorem, sed etiam per parallelismum, vbi vox ἰδιος huic respondet, quam habere potest et quæ e illegitime conuenit.

§. XVIII.

Praeterea etiam huc pertinet locus Col. 3, 18. 19. mulieres Prob. VI. pareant *suis* maritis. Nec non Eph. 5, 22-31. praesertim huc facit comma 31. et erunt duo in carnem vniam.

§. XIX.

Quæ alias ventilari solent argumenta, v. g. quia polygama ad solam libidinem suscipiatur, a gentibus voluptati ac prauis moribus deditis habeat originem, contraria sit aequalitati sexus et dignitati mulierum, non sequatur regulam quod tibi non vis fieri alteri ne facias, et alia eiusmodi robore destituta, videantur in laudata diff. Pflaumii de polygama, incestu et diuortio. Nisi huc confirmationis causa adducere velimus exemplum primorum christianorum. Licet enim hoc per se vim obligandi non habeat, plurimum tamen adiuvat, si euictum sit, morem istum ab institutione Apostolorum virorumque Θεοτελευτων originem habere. Saltem ad confirmationem non nihil facit thesium nostrarum.

CAP. II.

PROBATIONES NUMERVM MARIVM ET
FEMINARVM ESSE AEQVALEM
IN TELLVRE.

§. XX.

Accingimus nos iam ad propositum nostrum primarium atque hoc capite phaenomena quaedam ipsi tractationi praemittimus. Praecipuum catalogum, cui innitemur, inuenimus exhibitum in Bern. Nieuwentyt Libro: *Erkenntnis der Weisheit, Macht und Güte des göttlichen Wesens aus dem*

dem rechten Gebrauch der Betrachtungen aller irrdischen Dinge dieser Welt p. 300, deco, quod obseruatum est

LONDINI.

Anno	mar.	fem.	Anno	mar.	fem.	Anno	mar.	fem.
1629	5218	4683	1657	3396	3289	1685	7484	7246
30	4858	4457	58	3157	3018	86	7575	7119
31	4422	4102	59	3209	2781	87	7737	7214
32	4994	4590	60	3724	3247	88	7482	7101
33	5158	4339	61	4748	4107	89	7604	7167
34	5035	4820	62	5216	4803	90	7909	7302
35	5106	4928	63	5411	4881	91	7662	7392
36	4917	4605	64	6041	5681	92	7602	7316
37	4703	4457	65	5114	4358	93	7676	7483
38	5359	4952	66	4678	4319	94	6985	6647
39	5366	4784	67	5617	5322	95	7263	6713
40	5518	5332	68	6073	5560	96	7632	7229
41	5470	5200	69	6506	5829	97	8062	7767
42	5460	4910	70	6278	5719	98	8426	7626
43	4793	4617	71	6449	6061	99	7911	7452
44	4107	3997	72	6443	6120	1700	7578	7061
45	4047	3919	73	6073	5821	1	8102	7514
46	3768	3395	74	6113	5738	2	8031	7656
47	3796	3536	75	6058	5717	3	7765	7683
48	3363	3181	76	6552	5847	4	6113	5738
49	3079	2746	77	6423	6203	5	8366	7779
50	2890	2722	78	6568	6033	6	7952	7417
51	3231	2840	79	6247	6041	7	8379	7687
52	3220	2908	80	6548	6299	8	8239	7623
53	3196	2959	81	6822	6533	9	7840	7380
54	3441	3179	82	6909	6744	10	7640	7288
55	3655	3349	83	7577	7158			
56	3668	3382	84	7575	7127			

In singulis itaque 82 annis ordo fere accuratissimus perspicitur, vt semper plures nati masculi quam feminae. Si- que omnes vtriusque sexus nati in vnicum numerum computantur, erunt mares ad feminas circiter vt 14 ad 13, aut 11 ad 10. Quod singularem prouidentiam prodit.

§. XXI.
COTHENIL.

In eccles. Luther.			In eccles. Reform.		
Anno	mases	feminae.	Anno	mases	feminae.
1729. nat.	42	40	1729. nat.	46	34
1730. nat.	61	36	mort.	31	50
mort.	24	36	30. nat.	49	45
31. nat.	49	46	mort.	25	41
mort.	34	34	31. nat.	33	47
32. nat.	44	42	mort.	27	27
mort.	69	76	33. nat.	46	60
33. nat.	53	39	mort.	16	28
mort.	66	61	34. nat.	51	37
34. nat.	53	40	mort.	5	14
mort.	38	37	35. nat.	55	51
35. nat.	56	40	mort.	20	29
mort.	45	49	36. nat.	35	47
36. nat.	51	28	mort.	28	28
mort.	54	45	37. nat.	44	48
37. nat.	53	53	mort.	40	39
mort.	55	49	38. nat.	54	54
38. nat.	37	43	mort.	26	32
mort.	38	45			

Numerus natorum omnium marium 912, natarum feminarum 830: nati ergo sunt masculorum 82 plures quam feminae. Mortuorum masculorum 641, mortuarum feminarum 720. Ergo feminarum 79 plures mortuae quam marium. Hinc 161 plures marium existunt per hoc spatium temporis quam feminarum.

§. XXII.

HALAE.

Anno	mar.	fem.	Anno	malc.	fem.
1729. nat.	371	329	1731. In vniuerso		
mort.	501	543	ducatu Mig-		
30. nat.	332	357	deburg. nat.	4105	3703
mort.	462	514	32 Halae nat.	357	355
			33 nat.	344	313
			mort.	398	363
			34 nat.	383	316
			mort.	353	394

§. XXIII.

In ecclesia Lutherana Aquensi ad Albim.

Anno	mar.	fem.	Anno	mar.	fem.	Anno	mar.	fem.
1706	40	46	1717	47	52	1728	35	47
7	42	33	18	36	47	29	45	30
8	46	34	19	52	40	30	51	46
9	42	38	20	44	28	31	41	39
10	27	37	21	39	51	32	46	41
11	35	28	22	50	26	33	52	41
12	36	36	23	40	49	34	54	40
13	34	38	24	44	38	35	47	40
14	38	40	25	31	42	36	39	47
15	38	37	26	37	43	37	47	49
16	43	36	27	41	33	38	49	41

Nati ergo sunt masculi 388, feminae 313. Masculorum igitur 75 plures nati sunt, quam feminarum.

§. XXIV.

Huc etiam referamus, quod obseruauit doctiss. Will. Derham in Physico-Theologia L. IV. Cap. 10. p. 349. scilicet in dioecesi sua tempore 100. annorum natos esse masculos 709, feminas 675, mortuos mares 636, feminas 623.

§. XXV.

Et hoc praetermitti non debet, quod rarissime caelibes sint extra monasteria: sique quidam inueniuntur nostris regionibus, hoc non fit ex inopia coniugum, et forsitan etiam caelibes vtriusque sexus aequales sunt.

§. XXVI.

Ex his omnibus haec propositiones resultant: 1) mares et feminas fere aequali numero nasci. 2) Nasci tamen plures generis masculini quam feminini, vt hoc ad illud vt 13 ad 14, quam relationem etiam laudatus Derham loco citato accuratissimam esse censet. Licet enim in nonnullis annis plures feminae natae detegantur, compensantur tamen id fati superque, si plures anni computentur. 3) Aequali fere numero homines

mines vtriusque sexus decedere. An plures plerumque decedant feminae, vltcrius adhuc inuestigandum est, nec sufficientibus subsidiis iam destitutus, id accurate determinare valeo. Id 4.) certum est, plures propterea existere in mundo homines masculini generis. Quod diuinam prouidentiam apprime illustrat. Plures enim iam obseruarunt, numerum non contemnendum marium consumi bellis, nauigationibus, aliisque ex causis. Vt ergo si haec omnia inter se comparentur maxime probabilis sit propositio: minimum discrimen ratione numeri esse inter mares et feminas.

* Alii etiam obseruare voluerunt quandam relationem similem notatu dignam in animalibus eorumque foetibus, vt scilicet eorum, quorum mares cum pluribus feminis se commiscant, minor numerus nascitur marium.

** Obseruari etiam potest, in pagis plerumque plures nasci quam decedere, in vrbibus plures decedere quam nasci. Quod facile concipi potest 1) quia plures in vrbibus cohabitant, aërem impuriorem reddunt exhalationibus, et motiones ibi cessant quae in pagis frequentiores esse solent corporis. 2) Quia multi aegroti in vrbes deportantur, vt ibi sanentur. Quam alii inuenisse putant causam, nimirum multitudinem medicorum in vrbibus, nostram iam non facimus.

*** Reliquae relationes, quas huic capiti destinaueramus, inuitis nobis omitti debent. Qui hac de re conuinci magis cupit, facili negotio vltcrius experiri poterit.

CAP. III.

SISTENS PROBATIONES CONTRA POLYGAMIAM EX NUMERO HOMINVM VTRIVSQVE SEXVS IN TERRA AEQVALI.

§. XXVII.

Satis igitur superque si haec ponderantur, constat, numerum masculorum et feminarum in terra esse aequalem (Cap. I.) Cum vero nihil sit sine ratione sufficiente, *casus* autem dicatur euentus sine ratione sufficiente: et hic huius mundi euentus non potest accidere casu, sed rationem et cau-

Prob. prae-
lim. non ac-
cidere casu.

C sam

fam sufficientem habeat, oportet. Haec causa, autem sufficiens vel in parentibus vel extra eosdem quaerenda est.

§. XXVIII.

Causa sufficiens determinat causata ad vnum omnia. Iam vero si haec causa sufficiens sit libera, cognosci debent causata singula ex voluntate huius causae, voluntas sequitur intellectum: ergo si causa libera sit rat. sufficiens alicuius rei 1) omnia causata cognoscere valet, etiam antequam existant, 2) secundum voluntatem ipsius singula eueniunt.

§. XXIX.

Parentes non posse procreare liberos huius vel illius sexus pro lubitu, ita euidens est, vt vltiori probatione non egeat. Preterea non solum plurimi parentes, quid ad foetum huius vel illius sexus determinandum requiratur, ignorant, vt taceam, neminem id plene cognoscere, verum etiam nequidem certo aut probabiliter iudicare aut diuinare possunt, cuius sexus foetus futurus sit. Quae omnia euincunt, in parentibus rationem determinati foetus, adeoque numeri marium et feminarum aequalis sufficientem non esse. (§. praec.)

§. XXX.

Ratio extra parentes sufficiens aut est in ente contingente, aut in ente necessario. Ens contingens aliud non potest esse causa sufficiens solitaria, quia parentes aliquid etiam rationis in se continent: ergo causa sufficiens aut est ens necessarium immediate, aut plura entia contingentia simul sunt causae sufficientes sociae, ita vt per naturae leges hic effectus determinetur. At etiam natura, quia a Deo dependet, non est nisi causa sufficiens secundum quid i. e. causa sufficiens subordinata: Ergo ens necessarium est causa sufficiens simpliciter talis. Cum enim principium principii sit etiam principium principiati: haec vox naturae, seu ad quod per hoc phaenomenon nos obligat natura, iure pro voce Dei habenda est.

Fallit ergo eos, qui hunc euentum casum attribuere volunt, patet ex hypothesi Arithmetices probabilium. Egregie illud celeberrimus Ma-

Ma-

Mathematicus Grauesande pro more suo ob oculos posuit, cuius demonstrationem inuenimus etiam in Libro Nieuwentit, cuius supra mentionem iam fecimus p. 303. seq. Digna est omnino demonstratio, quae hic breuiter apponatur. Fingit, duos homines sponsonem aliquam facere, primus pro sententia hoc phaenomenon accidere casu, alter non casu euenire. Horum primum vocat A, alterum B. Deinde per additionem computat homines per 82 annos Londini natos, cuius numeri pars octogesima secunda dat 11429. Pergit deinde obseruando, et notat differentiam masculorum et feminarum in anno 1703 minimam omnium esse, scilicet masculi nati sunt 7765, feminae 7683, et in summa 15448. Iam vero si 11429 sit numerus medius, inferendo erit 15448 : 11429 = 7765 : x. i. e. 5745, hi masculi; deinde 15448 : 11429 = 7683 : x. i. e. 5684, hae feminae. Simili modo obseruat, anno 1661. differentiam marium et feminarum omnium esse maximam, si ergo similis instituat proportio, essent 6128 mares, 5301. feminae.

Vt vero melius procedat res, assumit exemplum simile, a nummis desumptum, qui in vno latere cruce notati, in altero sine imagine sunt. Prius latus vocat k, alterum m. Scilicet sponderè A, inter 11429 talium nummorum non pauciores quam 5745. nec plures quam 6128, si in terram proiciantur, esse k. Queritur ergo quaenam sit proportio, quaenam potentia pretii $\tau\tilde{z}$ A? 1) Manifestum igitur est, binomium $k + m$ esse reducendum in potentiam, cuius exponens est = 11429.

2) Complexus eorum, quae respectu nummorum accidere possunt, vocetur $p + q$. In specie, quae faciunt pro sententia $\tau\tilde{z}$ A, sint = p; quae pro B, sint = q. Pretium vero sponsonis sit = D.

3) Tunc A erit = $\frac{p}{p+q}$ D, si A spondeat, semel id facturum. Sed

4) si a 82 vicibus id euenturum spondet, erit $A = \left(\frac{p}{p+q}\right)^{82} D$.

Ergo $A : B = p^{82} : (p+q)^{82} = p^{82} : p^{82} + \dots + q^{82}$. Ita rem ex-

pediuit Grauesande. Sed 5) rem etiam alio modo tractare possumus. Assumimus A esse = $\frac{p}{p+q}$ B = $\frac{q}{p+q}$. Iam numerus 82 ce-

dit in commodum $\tau\tilde{z}$ A, ergo A ad B, vt p^{82} ad q . Si

$\left(\frac{p}{p+q}\right)^{82}$ $\frac{q}{p+q}$ igitur

igitur adhibeatur regula Newtoniana de elevatione ad potentias, sequenti modo relatio τ A ad B, et differentia τ A a τ B cognosci poterit. $p^{82} + \frac{82}{2} p + \frac{81}{2}$. $p^{81} + \frac{81}{2}$. $p^{80} + \frac{80}{3} p + \frac{79}{3}$. $p^{79} + \frac{79}{4} p + \frac{78}{4}$. $p^{78} + \frac{78}{5} p + \frac{77}{5}$. $p^{77} + \frac{77}{6} p + \frac{76}{6}$. $p^{76} + \frac{76}{7} p + \frac{75}{7}$. $p^{75} + \frac{75}{8} p + \frac{74}{8}$. $p^{74} + \frac{74}{9} p + \frac{73}{9}$. $p^{73} + \frac{73}{10} p + \frac{72}{10}$. &c. Et sic porro vsque ad potentiam 82.

§. XXXI.

Prob. I.

Facultas consuetudinaria possibilitate agendi: possibilitas autem vel est *absoluta* vel *respectiva*; respectiva vel *physica* vel *moralis*. Facultas moralis, seu quae a libertate dependet, et legibus non contraria est, *ius* dicitur.

§. XXXII.

Homines in mundo ad unum omnes gaudent facultate morali contrahendi matrimonium. Ponamus enim, quosdam facultate hac morali priuatos esse, per leges id factum sit, necesse est (§. praec.) Haec aut esset diuina, aut non diuina. Sed non diuina, quia Deus matrimonium instituit, et pro fine habuit in creando hoc mundo (§. IX. I.), sibi que contradicere nequit: nec humana; licet enim inficias ire nequeamus, actu a nonnullis respectu nonnullorum hanc legem sancitam esse, hoc tamen non obstat, quo minus omnibus et singulis hoc ius ineundi matrimonium vindicare teneamur. Cum enim ex philosophia practica vniuersali manifestum sit, leges humanas diuinis subordinatas esse, leges humanae diuinis non contradicant necesse est. Quod si vero tamen contradicunt, oritur inde collisio legum, in qua inferior excipienda venit. Tales itaque leges humanae matrimonium prohibentes neminem obligant. Cum vero Deus id non solum permiserit, non solum instituerit, verum etiam pro fine habuerit Gen. 2: nulla existere potest lex, hominibus matrimonio interdicens contra diuinam voluntatem. Et cum praeterea leges humanae ad impossibilia non obligant: *omnes in vniuersum homines facultatem moralem, ergo ius habent contrahendi matrimonium* (§. XXXI).

Aliud

Aliud tamen ferendum iudicium, si supremus magistratus ob ciuiles et alias causas certo alicui ordini, seu vitae statui interdicit matrimonio, si modo cuius eum statum deferere liceat. Tantum abest, vt hoc iniustum declarem, vt potius licitum, imo interdum bonum et necessarium habeamus.

§. XXXIII.

Instinctus mere naturalis est, qui ad naturam pertinet, et fini suo conformiter determinatur. Vnde patet, non sufficere ad instinctum mere naturalem, si adsit appetitus sensitiuus fortior ad naturam pertinens: cum enim natura corrupta sit, etiam instinctus in se legitimi terminum facile excedunt. Quia vero natura vniuersa a Deo dependet, Deus autem nihil frustra largiri potest: indubium est, ad quod instinctum fouemus mere naturalem, ad illud a Deo obligamur.

§. XXXIV.

Quum instinctum homo sentiat ad matrimonium naturalem: Deus eius auctor erit, si, quae ad finem huius instinctus non pertinent, separentur; per consequens Deus *per illum hominem obligat ad matrimonium* (§. praec.)

Potest adeo instinctus mere naturalis etiam theologice definiri per eum cuius Deus auctor est. Cognoscitur autem praeterea, Deum instinctus ad matrimonium auctorem esse, ex Gen. 3, 16. vbi ad Evam Deus loquitur: *אל אישר תשוקתך*.

§. XXXV.

Inter rationem et rationatum cum *nexus* esse dicatur: erit *nexus minimus* inter vnicam rationem minimam et rationatum; qui ergo *maior* euadit, inter quo plures maioresque rationes et rationata intercedit. *Nexus effectiuus* est inter causam efficientem et effectum; qui inter media et fines est *fmalis*; inter exemplar et exemplatum, *typicus* seu *exemplaris*. Quo maior est nexus mundi, eo est mundus perfectior: et *in hoc mundo est nexus, qui possibilis est maximus*. Vid. Excell. Al. Gottl. Baumgarten, praeceptor nunquam non colendus, in Metaph. §. 441. 935.

§. XXXVI.

Per coniugium maiores existunt mundi nexūs possibilēs, et effectiuus, et finalis, et exemplaris inter protoplastos et eorum progeniem. Cum vero obligemur, vt studeamus mundo, quantum fieri potest, perfectissimo: *obligamur ad matrimonium* (§. praec.)

§. XXXVII.

Homines in vniuersum omnes ordinarie gaudent mediis, quae requiruntur ad matrimonium, quae data sunt a creatore ad matrimonium; medium non datur nisi ad finem: hinc iterum homines *obligantur ad matrimonium*. Addenda tamen est huic conclusioni necessaria limitatio: quatenus et occasio adest, et hic finis rectissime obtineri potest, nec rationes praeponderantes adsunt in contrarium.

§. XXXVIII.

Et tandem etiam *haec obligatio* apprime cognoscitur ex ipsa Dei intentione, quae legitur institutioni matrimonii annexa: crescatis, et multiplicemini, et impleteis terram.

§. XXXIX.

Ad quod obligamur, quia ad impossibilia obligari non possumus, hinc nec ad impossibilia moraliter, ad illud ius habemus. Ergo et hac ratione (§. XXXIII-XXXVIII.) patet, *nos ad matrimonium ius habere*. Nec obstat, quod matrimonium sit pactum, quod non nisi consensu mutuo stabilitur, cum etiam ad pacta ius habere possumus. Praeterea superior facultate gaudet, inferiores ad pacta praesertim iis non noxia, obligandi, hic et Deus ante consensum homines ad pacta obligare potest (§. IX.)

Huic theoremati autem non obstat licita et necessaria limitatio huius iuris vsusque e. g. in liberis, quibus consensus parentum necessarius est. Semper enim respectu iuris ipsum ius ab vsu eiusdem distinguendum est. v. g. Si princeps aliquis ius habet, regionem aliquam sibi vindicandi, sed pro praesenti destituitur viribus, vt differat in aliud tempus magis idoneum, haec limitatio ius ipsum non tollit.

§. XL,

§. XL.

Cum suum cuique, per consequens etiam cuique ius suum sit relinquendum: quicumque alterum iure suo priuat, repugnat officiiis aliis debitis, ergo eum lædit.

§. XLI.

Numerus ergo masculorum et feminarum in mundo est aequalis (*Cap. II.*), quilibet etiam ius habet matrimonium contrahendi (§. XXXII. XXXIX.) Singuli vero homines polygamiam exercentes, singulorum matrimonium impossibile reddunt, hinc iis præripiunt facultatem, eamque moralem (§. XXXI.): ergo iure suo eosdem priuant, hinc laedunt: *Nemo vero cum laedendus, nemo etiam sit polygamus.*

§. XLII.

Hoc ergo negari nequit, homines gaudere iure matrimonium ineundi, sed quaestio est altioris indaginis, vtrum *ius habeant internum tantum, an externum etiam?* Quod postremum cum nostrum faciamus, primum stabilimus: quod licitum est externe, seu quod legibus strictè dictis non repugnat, ad illud habeo *ius externum* (B. Koehlerus in *Iure Nat.* §. 860. 861.) Iam ponamus, nonnullorum hominum matrimonium repugnare legibus externis, hae leges aut ad statum hominum naturalem, aut socialem demum pertinent. Sed non pertinent ad socialem, quia in illo statu nullae leges externae existant matrimonium prohibentes, nec possunt, quia societatis humanae generalioris damnum promouerent, societates autem non nisi ad emolumentum hominum, et subordinatae societates non nisi quatenus conueniunt subordinanti instituuntur (cf. etiam §. XXXII.); nec pertinere possunt ad statum naturalem, quia in illo homines aequales concipiuntur, adeoque nemini liceret externae matrimonium inire. Hinc matrimonium singulorum hominum non repugnat legibus externis, ergo licet externe, ergo *ius habemus ad matrimonium externum.*

Hoc

Hoc ius externum augetur, si ipsa vita socialis obiectum huius iuris requirit. Totum enim genus humanum ut societas concipienda est, societas instituitur in utilitatem et amplificationem membrorum societatem constituentium. Iam vero per matrimonium promouetur perfectio et duratio huius societatis, alias necessario interiturae: ergo matrimonia in vita hominum sociali sunt necessaria, et necessario externe permitti debent. Cum vero nulla adsit causa exclusionis, omnibus et singulis etiam hoc ius competere debet.

§. XLIII.

Si polygamia vniuersalis obtineret, et singulis duos tantum attribuamus coniuges cuiuscunque sexus, dimidia pars alterius sexus iure suo priuaretur. Si plures cuique attribuamus, plures iure suo priuarentur, et maior euaderet laesio.

Si qui sint, qui per signa id cognoscere cupiunt, iis hoc ita sub oculis ponimus. Sint omnes vnius sexus homines \bar{a} , omnes alterius \bar{b} , per antea Cap. II. adducta erit $a = b$, si monogamia vbiuis obtineat. Ponamus vero Bigamiam erit $a = \frac{1}{2}b$, aut $b = \frac{1}{2}a$. Ergo aut $\frac{1}{2}a$, aut $\frac{1}{2}b$ priuatur iure suo. Si trigamia statuatur, erit $a = \frac{1}{3}b$, aut $b = \frac{1}{3}a$. Ergo aut $\frac{2}{3}a$, aut $\frac{2}{3}b$ priuantur iure suo. Et sic porro.

§. XLIV.

Laesus habet ius in laedentem, suum sibi vindicandi. Ergo etiam polygamia posita dimidia saltem pars hominum coniugibus priuata ius habet restituendi sibi facultatem coniuges ducendi (§. XXXI. XXXII. XXXIX.) Quanta vero, bone Deus, incommoda! Videre videor mihi bellum omnium contra omnes, quot tumultus, quot confusiones! Absit longissime ut huic rei, maximorum malorum radici, pollicem premamus.

§. XLV.

Prob. II.

Singuli ergo homines multis modis obligantur ad matrimonium per naturam ipsamque Deum (§. XXXIII. XXXVIII.) Iam vero si polygamia obtineret, supposito phaenomeno esse tot masculos in tellure, quot existunt feminae, non omnes possunt inire matrimonium. sed saltem dimidia pars alterutrius sexus impeditur: *ergo natura et ipse Deus homines obligarent ad impossibilia*

possibilia. Quod absurdum. Ergo polygamia est contra naturam et intentionem Dei.

§. XLVI.

Homines medijs ad procreandam sobolem instructi sunt Prob. III.
 (§. XXXVII.) Posita vero polygamia non possunt omnes matrimonio iungi (§. XLIII): ergo hæc media aut frustra data sunt, aut data sunt ad adulterium aliosque vsus illegitimos, si distinctus ratio habeatur. Posterius est contra naturam Dei sanctissimi.

§. XLVII.

Media hæc originem trahunt a Deo. Quod si ergo frustra data sunt, aut Deus finem eorum intendit, aut non. Si non intendit, posuit media sine finibus tamen, quod contra sapientiam diuinam: si voluit, vt fines existerent, dedit media insufficientia, quod contra summam eiusdem potentiam. *Falsum* ergo vtrumque posterius, ergo et prius, *polygamiam locum habere posse*.

§. XLVIII.

Nexus, qui præstatur matrimonio, si *matrimonialis* dicitur, erit *minimus*, si per matrimonium existat vnica minima ratio, hinc etiam vnicum minimum rationatum. *Qui maior* fit, auctis rationibus, hinc et auctis rationatis, quod vel extensiuè vel intensiuè fieri potest. Prob. IV.

§. XLIX.

Si in mundo tot sunt mares, quot feminae, sequitur vt per polygamiam pauciores iungantur, quam per monogamiam. Cum enim monogamia posita omnes coniungi possint nexu matrimoniali, posita polygamia saltem quarta pars hominum tali nexu coniungi non potest. Hinc quia plures ponuntur coniuges, plures etiam ponuntur rationes.

* Qui signis delectantur, facilius perspicient, plures esse rationes in monogamia. Sumamus enim quatuor homines semper seorsim, vtriusque sexus duos, quod commode fieri potest, quia aequalis est numerus vtriusque sexus. Sint a et b mares, c et d feminae. Si bigamia

D

locum

locum haberet, iungerentur a † c † d nexu matrimoniali, b non; e contrario monogamia posita connectuntur a et c, b et d, ergo a † c † b † d nexu matrimoniali. Si trigamia statuatur, pauciores adhuc erunt rationes. Neesse enim est, vt 6. assumamus, a b c sint mares, d e feminae. In polygamia a † d † e † f iunguntur nexu matrimoniali, b † c hoc nexu carent. In monogamia iunguntur a † e † b † d † c † f tali nexu.

* Deum etiam ad nexum matrimonialem respexisse, ex parte cognoscitur ex lege de gradibus prohibitis. Si enim in rationem huius legis inquiratur, facile apparebit, homines sibi cognatos arctissimo iamiam nexu coniungi, et maiorem esse nexum mundi, si alii, qui nondum sunt in tali nexu propiore, etiam magis connectuntur.

§. L.

Ne vero quis putet, extensius plures tantum adesse rationes quibus tamen respondeant in polygamia rationes intensius aequales, supponimus 1) plures eiusdem generis vires viuas plures maioresque effectus praestare posse, quam pauciores; 2) quemlibet coniugem quot et quantis potest viribus, ad quod obligatur matrimonio, efficere debere. Sicque facile patet, etiam intensius nexum talem per monogamiam augeri, quod tamen in specie paululum euoluemus.

§. Ll.

Per monogamiam maior existit *nexus effectiuus*. 1) in procreatione sobolis. Licet enim ad oculus demonstrare nequeamus, semper plures in monogamia liberos nasci, id tamen, praesertim si secundariorum finium simul ratio habeatur, certum est, non esse eosdem adeo robustos in polygamia. Quod quidem magis perspicitur, si polygamia sit maior, et numerus coniugum insigniter augeatur: 2) ratione mutui adiutorii, quod non potest non a singulis maritis singulis vxoribus rectius praestari. Quia itaque rationes maiores et plures sunt, necessario rationata et maiora et plura sint, oportet.

Arcuarius existimat, amorem et hinc mutuum adiutorium aequae bene pluribus vxoribus praestari posse p. 79. Deducere id conatur ex eo, quia parentes plures liberos aequaliter amare, iisque auxilium ferre possint. Sed ipsum assertum experientia et principium indiscerni-

cernibilium fatis confutat. Deinde etiam consequentia non ita evidens est. Sed ponamus amorem aequalem esse, ab amore tamen ad effectum amoris seu mutuum adiutorium, quod externis praesertim actionibus absoluitur non valet consequentia. Alio loco p. 94. excipit, maritum non omnem amorem, omne patrocinium, omnemque amicitiam vxori promittere. Hoc probat ex obedientia, quam vxor marito debet; sed facile quisque intelligit, obedientiam hanc aliis in rebus necessariam esse. Per consequens haec obedientia non prius pro eius asserto militat, quam ex aliis rationibus probatum sit, polygamiam esse legitimam. Tunc forsitan haec obedientia objectionem aliquam remoueret.

§. LII.

Fines ergo matrimonii a Deo intenti, hinc fines mundi optime per monogamiam obtinentur (§. I. et praec.) maior itaque etiam fit *nexus mundi finalis*. Et quia matrimonium primorum parentum a Deo institutum (§. IX.) est optimum exemplar: *maior etiam per monogamiam actuatur nexus mundi typicus seu exemplaris.*

§. LIII.

Nexus ex societate paterna resultans, si paternus dicatur, Prob. V. erit et hic in monogamia maior quam in polygamia. Et quidem 1) effectiuus, non solum quoad educationem, sed etiam collationem boni, quod possibile est, maximi, si iterum supponatur in singulos parentes incumbere, felicitatem liberorum, quam fieri potest maxime, promouere; 2) finalis, quia hoc Deus intendit respectu huius societatis, nec non, si cogitemus, liberos hoc modo fieri aptiores ad vltiores mundi fines media; 3) nec non typicus.

§. LIV.

Cum itaque per *monogamiam* nexus mundi possibileis maior existat: *obligamur ad eandem (§. XLVIII- LIII.)*

§. LV.

Maiores ergo est nexus hominum in mundo, si stabiliatur Prob. VI, monogamia, ergo etiam *ordo mundi et perfectio*. Cumque

singulorum hominum perfectio oriatur, si sint aut rationes determinantes perfectionis, aut consentientia; quomodo-cunque id fiat respectu huius casus, tamen singulorum hominum etiam promouetur perfectio per monogamiam. Si ergo Deus voluisset polygamiam, minorem perfectionem ponentem, non voluisset maximum bonum singulorum hominum; imo nonnullorum hominum, qui matrimonium inire non potuissent, ob defectum hominum alterius sexus (§. XLIII.) perfectionem, quae resultat ex matrimonio, plane non voluisset, quae tamen fuisset possibilis; ergo Deus non esset summe bonus. Quod cum sit incongruum, *falsum est prius, Deum voluisse polygamiam.*

§. LVI.

Perfectio est consensus variorum ad vnum: quo ergo plura, ad quo plura consentiunt, eo maior est perfectio. Matrimonium ergo perfectissimum est, in quo maximus est consensus. Iam vero in monogamia plures extensue consentiunt ad plura intensue (§. XLIX.L.): hinc monogamia matrimonium est perfectissimum, ab omnibus perfectionem quaerentibus amplectendum.

§. LVII.

Est itaque *matrimonium* societas non nisi duorum hominum, ad sobolem procreandam et educandam. (§. I.)

CAP. IV.

EXHIBENS OBJECTIONVM SOLVTIONES.

§. LVIII.

I. **P**rovocatur ad exemplum Patriarcharum. Et sane altioris indaginis res est, attamen non tanti, vt ideo clamatum sit de causa nostra. Verum enim vero cum *coniuuentia* sit transgressionis legis neglecta punitio; *dispensatio* autem approbatio exceptionis a lege facta: prono aluo resultat inde, *coniuuentiam* Dei, quae hic omnino locum inuenit, non necessario coniunctam esse cum dispensatione. Concedi-

cedimus enim, Deum expresse non puniuisse hanc aberrationem patriarcharum, quia forsitan e re non visum fuit tum temporis, praefertim si simul ad intentionem eorum attendamus, quæ multiplicationem seminis et posterorum, ex quibus Messias nascendus erat, respiciebat: sed inde nullo modo consequitur, Deum id factum approbasse. Nec filo Ariadne opus erit, vt ex labyrintho eorum euadamus, qui hanc dispensationem eruere satagunt ex eo, quod Deus de eorum liberis ordinauerit; aliud enim est, ordinare circa effectum actionis alicuius illegitimæ, aliud de ipsa illegitima actione. Nec valet exceptio, quod Deus Deut. 17. 17. vetuerit, ne reges multiplicarent vxores, id enim aequè bene de duabus tantum vxoribus explicari potest. E contrario interdictum regibus datum indicat, rem non esse per se bonam et legitimam, licet toleretur: in bonis enim et illegitimis rebus non locum habet eiusmodi prohibitio. Nec valet exceptio; quod Deus inter beneficia in Dauidem collata collocet, quod vxores ei plures dederit, seu, vt proprie se habent verba: 2 Sam. 12. 8, quod dedisset domum et vxores domini ipsius in sinum. Nam nullo modo probari potest, Dauidem has omnes mulieres in matrimonio habuisse, quid quod ostendi potest contrarium, cum nullibi eadem recenseantur in numero vxorum Dauidis. Signum potius hoc erat successionis legitimæ, si regnum cui-dam ex alia familia cedebat, vt talis successor quo cognatione cum antecessore coniungeretur, aut vxorem aut filiam sibi desponsaret. Cum itaque Dauides filiam Saulis iamiam in matrimonium duxisset, non opus habebat vxorem ducere, quinimo legitime non poterat, saltem non omnes, nisi incestum committere voluisset.

Arcuarius Iosephum citat, de Dauide differentem: *ὁς γυναικας (τῆ Σαδλ) δμαλος καὶ νομισμωσ ἐγάγετο*. Sed Iosephum in historia antiqua saepius falli et fallere, nemo ignorat. Verba *δμαλος* et *νομισμωσ* autem respiciunt morem, quo successor antecessoris filiam aut vxorem ducere tenebatur.

D 3

§. LIX.

§. LIX.

II. *Prouocatur ad consensum cultiorum gentium, qualem in Turcis et Sinesibus potissimum deprehendere licet* Sed 1) in genere notandum est, tale exemplum non esse normam actionum, praesertim si ratio inuestigatur, quam quidem primi huius religionis auctores fouerunt, in propagatione celeriori doctrinae suae, carnis libidinibus indulgentis, positam, quam libidinem clima feruentius non parum intendit. 2) nulli polygamia existit vniuersalis. 3) consensum plurimarum gentium, magis adhuc cultarum, iis opponimus. 4) Incommoda apud eos inde enascentia quis ignorat? Ipsi satis intelligunt, quid mali inde redundaturum, nisi aliis mediis obuiam eant; quod numerus insignis castratorum ibi inuentorum oppido indigitat. Quis vero huic inhumanae actioni album addere potest calculum: nisi cui fungus est pro cerebro?

§. LX.

Quod III. allegari interdum solet dictum Tim. 3, 2, vt *episcopus vnius uxoris vir sit*, vnde consequi fingitur, hoc non nisi ad clericos quadrare praecipuum, confutatu facillimum est. 1) enim si vel maxime probatum datum sit, nullis aliis Scripturae S. locis id expresse ad reliquos extensum esse, e silentio tali tamen non valeret consequentia, sed potius, cum nullo loco citato deprehendatur particula exclusiua, vnius positionem non esse alterius exclusionem, recte statuitur. 2) prouocamus ad Cap. I. disputationis, et oracula ibi exposita, quae fidem faciunt, non exclusiue sed inclusiue hoc mandatum intelligendum esse, ita tamen vt eius obseruatio episcopo magis incumbat quam reliquis. Verba sequentia id satis indicant, si enim monogamia solis episcopis incumberet, et reliqua praecipua e.g. de sobrietate non obligarent laicos.

Arcuarius hanc fouet sententiam: horum praecipuorum quaedam esse communia, quaedam episcopis propria. Ergo non prius ex hoc dicto aliquid posse concludi, quam aliis ex argumentis, monogamiam

miam ad reliquos etiam pertinere, euitum sit. Possemus iam acquiescere (n. 2.), sed dubium adhuc est, an vnicum præceptum hic inueniatur, folis episcopis proprium. Quod enim assert, vt episcopi sint dociles, id suo modo ad laicos etiam extendi potest.

§. LXI.

Pluribus inuoluta est tricus (V.) opinio eorum, qui polygamiam vniuersalem (§. II.) prorsus reiciunt, quippe quam ponere erubescunt, attamen *particulari* velut oestro perciti *instunt*, eamque amplectuntur toti. Diuersis nituntur mediis terminis, diuerso modo eorum præcipuos subuertere satagemus.

§. LXII.

Primum non pauci *eos extirpant*, qui in *ampliore dignitatis gradu* sunt, seu non dependent ab alio homine. Verum ipsi forsitan quid sibi velint nesciunt: Aut enim tales homines nullam omnino obligationem agnoscunt, aut haec etiam ab iis separari nequit.

§. LXIII.

Alii fini matrimonii innixi, ita argumentantur: *Si quidam polygami procreationi sobolis numerosioris eiusdemque legitimæ educationi sufficiunt, polygamia particularis licita est.* Verum est prius, ergo posterius. Sed partim consequentia vacillat, si quidem falso supponitur, Deum procreationem sobolis numerosioris simpliciter intendisse, partim minor per antea euiecta non parum nudatur. Facile enim id quilibet nobis largietur, finem matrimonii rectius obtineri, si ea, quae pluribus intenduntur liberis, quanta quanta sint, in pauciorum emolumentum cedant. Deinde etiam vix ac ne vix quidem caueri posset, ne polygamia vniuersalis, quae tamen satis profligata est, vbiuis locorum obtineret. Quis enim facile esset, qui pluribus liberis se in suo genere sufficere, non fingeret, aut saltem falso sibi persuaderet?

§. LXIV.

Ad tertiam classem pertinent, qui *necessitatem aliquam* statunt,

tuunt, et polygamiam interdum ineuitabilem, quorum ve-
 fligia premere videtur B. Koehlerus in Iure Gentium. Refert
 eo potissimum *defectum marium in republica*. Sed qui recte per-
 penderit has propositiones, numerum marium et femina-
 rum fere aequalem esse, aequali fere numero decedere, plures
 adhuc esse viros qui si bello consumantur forsitan, numerum
 marium et feminarum non reddere inaequalem, facile cog-
 noscet tali in casu multiplicationem ciuium non melius poly-
 gamia quam monogamia processuram. Et hoc iam supponit,
 polygamiam legitimam esse, nisi quis malum perpetrandum
 esse, vt bonum inde eueniat, existimet. Deinde etiam
 eo refert, si quis *caprus* sit maritus e. g. a Turcis, isque per
 stipulationem noui matrimonii libertatem sibi conciliare pos-
 sit, tunc demum licere polygamiam. Quod vero iterum
 supponit, malum fieri posse, vt oriatur bonum.

§. LXV.

V. *Gen. 30, 22. Deus audivit Rachelem, et Hannam.* 1 Sami, 9.
 in polygamia degentes, ergo approbavit polygamiam, Vid.
 Arcuarius p. 119. Hoc argumentum omni vi destituitur, nisi
 probetur prius, quod supponi necessario debet, Deum Ra-
 chelem foecundisse, propterea quod fuerit in polygamia.
 Aliae enim huius diuinæ benedictionis esse potuerunt ratio-
 nes, et omnino fuerunt. Potest hoc infringi innumeris
 instantiis e. g. Si Deus meretricem foecundat, nonne
 pro diuina benedictione id habendum est? Quis vero inde
 elicere conaretur, Deum scorticationem approbare?

§. LXVI.

VI. *Ex Deuteron. 22, 10. seqq. Si quis ex bello redux secum du-
 cat captiuam mulierem, quae ipsi placet, sinat per mensem eam de-
 plorare patrem et matrem deinde ducat:* ergo in hoc casu Deus po-
 lygamiam iussit Arcuar. p. 127. Ast 1) nemo cogebatur, sed
 tantum licitum fuit; 2) Deus maius malum impedire voluit.
 Polygamia enim tum temporis obtinebat, Deus eam tolera-
 bat;

bat; potuit ergo talis vir loco captiuæ alias præter suam ducere. Ne vero haud captiuam vitaret, deinde dimitteret, hanc Deus legem tulit, vt potius vxorem duceret, vxorisque priuilegia ipsi largiretur.

§. LXVII.

VII. Ex Deut. 21, 15. *Si quis duas ducat vxores vnã magis, alteram minus amatam, filiusque primogenitus natus ex minus amata, non potest filium amatæ primogenitum reddere, præ filio minus amatæ.* Vnde arcuarius p. 134. concludit: Si polygamia peccatum et adulterium est, liberi procreati illegitimi esse debent, nec simpliciter legislator sancire potuit, quod ius primogenituræ ipsis comperat. Ad hoc respondendum est 1) non determinatum esse, ex quonam matrimonio primogenitus natus. Si enim ex primo natus est, certissime pro legitimo filio habendus est. Arcuarius quidem arbitratur, primogenitum hic esse ex matrimonio secundo, quia minus amata amatae semper postponatur, sed positus verborum in Scriptura S. non semper indicat ordinem rerum 2) in primis autem nos unquam polygamiam Iudæorum pro adulterio declarauimus, quia Deus eam tolerauit, adeoque omnium vxorum liberos legitimos esse voluit.

§. LXVIII.

VIII. Deut. 25, 5. seq. *Ex præcepto mortui fratris aut propinqui vxorem ducendi.* Quorsum pertinet exemplum Boas Ruth. 4. Arcuar. p. 182. seq. Hic iterum obseruandum est, Deum sapientissimis causis impulsam tolerasse polygamiam, potuisse igitur vxorem talem etiam aliis maritis nubere: hanc vero legem sancitam esse, vt ordo tribuum Iudæicarum conseruaretur. Vnde qui hanc vxorem ducebat, non eius bona sibi acquirebat, sed ea cedebant primogenito, cuius curam pater vt tutor tantum suscipiebat. Videtur autem hoc præceptum eum in finem datum esse, vt talis propinquus nexu cognationis impulsus, eo magis filii, qui mortui filius habebatur, felicitatem

tatem promoueret. Attamen non necessarium erat hoc conubium, sed leui aliquo incommodo euitari poterat. Ruth. 4.

§. LXIX.

IX. 1 Cor. 7, 9. *Melius est matrimonium contrahere quam πρὸς Θεοῦ.* Vnde Arcuar. p. 187. concludit: Si vxor diutius aegrotat, aut aliae eiusmodi causae adsunt, praestat etiam polygamiam exercere, quam πρὸς Θεοῦ. Quae hic moneri possent, studio praeterimus, hoc vnicum respondentes, argumentum hoc plus probare, quam probare debuisset. Si enim eiusmodi concludendi modus valeret, ex eodem fonte polyandria, si matritus diutius aegrotaret, deriuari posset, quam tamen ipse Arcuarius non admittit.

§. LXX.

X. Contra nostram probationem hoc praesertim dubium moueri posset, nos *concludere a particulari ad vniuersalem*, dum ex allegatione euentum quibusdam locis obseruatorum ad totam terram similesque euentus in ea concluderemus. Sed probe notandum est, nos non concludere ita, simpliciter, sed secundum quid. 1) Itaque hypothetica est haec probatio, nos hanc experientiam tamdiu supponimus esse vniuersalem, quamdiu coatrarium eius non ostensum est. 2) Respicimus simul ad prouidentiam Dei. Obseruamus enim hunc euentum non solum in vrbibus, sed in pagis, non solum in vna regione, sed in pluribus eundem existere, quid ergo probabilius, quam hunc euentum locum habere in vniuersa tellure, cum non adsit ratio discriminis? 3) Neque id plane omitendum, quod supra allegauimus, vbi monogamia obtinet, ibi rarissime quandam per totam vitam extra matrimonium viuere, et vbi polygamia, ibi animaduerti posse, superesse quosdam alterius sexus, qui matrimonium inire non possunt.

S. D. G.

EPISTOLA.
RESPONDENTI

sal. plur. dic.

PRAESES.

DE disputatione tua et lætor, et doleo, et tibi gratulor.
Lætor operam in argumento arduo feliciter positam,
causamque difficilem e re utilitatis publicæ actam.
Hostes enim debellandi in *Mubamedanorum* castris oppido
quaerendi non sunt, sed propius imminent. In ipso christi
populo non defuerunt, qui se polygamia patronos profite-
rentur. Ut *anabaptistarum monasteriensium* furores præteream
neque *Huldrici Neobuli dialogum de digamia* commemorem, qui
an. dō 10 xxxxi prodit: primus hoc bellum mouit cum
strepitu *Bernhardinus Ochinus* in *dialogo de polygamia*, qui in-
ter XXX dialogos italicè scriptos et a *Seb. Castalione* latine red-
ditos XXI est. Breuem libri historiam exhibet *Pet. Bayle* in le-
xico sub voce *Ochin* lit. k. longiorem *obseruationum Hallensium*
tom. V. obs. i. auctoris vero *tom. IV. obs. XX.* Hunc excepit
Io. Lyserus, qui duobus scriptis vno iterum tertiumque edito
sub fictis *Theophili Alethæi*, *Athanasii Vincentii*, *Gottlieb Wahr-
mundi*, *Sinceri Wahrenbergii* nominibus generi humano poly-
gamiam persuasum iuit. Prægressos superauit *Laurentius Bege-
rus*, seu vt personatus prodire maluit *Daphnaeus Arcuarius* græ-
ce verso priore nomine, latine altero, aliquantum tamen
immutato vt in appellatiuum *Boeger* transformaretur. Is a
Carolo Ludouico electore palatino non iussus solum sed argu-
mentis etiam studiosissime conquisitis instructus, quidquid in
hanc rem dici potest, ita exhaustit, vt pessimam causam opti-
me egisse merito videatur. Historiam libri, quo multi admo-
dum

EPISTOLA.

dum sibi imponi passi sunt, narrant *Io. Fabric. in histor. biblioth. tom. V. pag. IV.*, *Io. Klefeker in bibliothec. eruditor. praecoc. p. XXV.*, *Charles Ancillon memoires p. CCCCXXXVI. &c. Niceron memoires tom. IV. pag. CLXXII. &c. Biblioth. Reimmannian. p. DCXCVI. Vincentii Placci theatr. pseudonym. n. CCXXVII. et CCLXXVII. et Io. Vogti catal. libr. rariorum pag. XLI.* Apprime igitur doctrinae huic confuluisti, quod litem contestatus hunc tibi aduersarium elegisti. Qui praeter hos triumuiros huc referri solent, vel obiter retigerunt; vel de fundamento necessitatis monogamiae, licitaque polygamiae dispensatione disputarunt; vel perperam nec sine iniuria eo pertrahuntur. Ad primam classem plures pertinent, quam ut illorum census agi hic commode possit; ad secundam *Hieron. Brucknerus in decis. iur. matrim. controuers. cap. XIV. §. LXI. &c. et Sam. Frid. Willenbergius cuius controuersiam recenset Christ. Matth. Pfaffius in bist. theol. litter. lib. II. §. X. not. zzz pag. CCCLXXXIII. et Io. Georg. Walchius in controu. eccles. luther. tom. III. sect. V. §. XXI. pag. CV. &c.* Neque minus his adscribendus foret *Io. Bodinus*, si eius sententiae, cuius a *Christ. Besoldo de tribus domesticae societatis speciebus. cap. I. n. VII.* accusatur, ex locis allegatis reus agi posset, quod pernegatur *Obseruat. Hallens. tom. VI. obs. II.* Cuius litis historicae et hermeneuticae quidquid demum fuerit, ipsa certe sententia de licita polygynia in casu abundantis alicubi insigni numero sexus foemini, rectius non conuellitur, quam hac demonstratione aequalis utriusque sexus hominum numeri. Ex tertio ordine vnum duntaxat nomino *Mart. Lutherum*, quem tam ob loca quaedam iniquius intellecta ex *tom. I. lat. Ienens. fol. CCCCLXXXVI. &c. tom. II. germ. Ien. fol. CXLVII. &c. tom. IV. germ. fol. XCV. &c.* quam ob causam *Philippi Hassiaci*, polygamiae propugnatoribus adnumerant plerique pontificii, in primis recentiores *Ant. Varillas in bist. baeres. lib. XII. p. LXXXVII. Iac. Ben. Bossuet de variat. eccles. protest.*

EPISTOLA.

teſt. lib. VI. pag. CCXXVI. et Ant. Arnaldus pract. mor. Ieſuit. part. III. cap. XVII. quid quod ipſi obſeruatōres Hallenſes tom. II. obſ. I. §. XVIII. &c. qui eundem cum Ochino eadem ſentientem contendunt. Sed prioribus accuſationis momentiſ ſatiſfecit. Io. Mollerus in Luthero deſenſo cap. VII. §. LXIX &c. pag. LXI. &c. et in deſenſione Lutheri deſenſi pag. CXLVI. &c. poſteriori Vit. Lud. a Seckendorff. in commentar. de Luthera. lib. III. ſect. XXI. §. LXXVIII. addit. III. pag. CCLXXVII. &c. Verum quum rationibus non auctoritate res efficiatur, bene egifti, quod argumentorum delectu habito ea omnia explicasti et confirmasti, quæ aliquod momentum trahunt, atque nouum illud ab æquali hominum diuerſi ſexus numero deſumptum euictum dedifti. Cuius recentiores ſcriptores bene multi mentionem quidem iniiciunt, demonſtratum tamen nuſquam legere mihi. Ipſemet illud *theol. moral. §. CLXX. in obſeru.* accuſatoriis tantum adſcripſi, quod inſtituti ratio longiorem demonſtrationem non admittere videbatur, quam hic a TE exhiberi iure laetor. Habeo tamen quod doleam. Plenior enim proditura fuiſſet diſſertatio, ſi ex propoſito menſem huic labori deſtinatum illi impendere, atque ſcriptum perpolire, et vt aiunt, foetum lambere tibi licuiſſet, neque inopinata ſignificatio voluntatis illuſtriſſimi patroni, in cuius familiam concedis, a ſtudiis iuuentutis in ſpeni ſplendidiffimæ gentis et patriæ adoleſcentis futurus, abutim præcipitari iuſſiſſet, atque præſidia hiſtorica valde multa litteris aliunde expetita intercepiſſet. Nihilo ſecius vere TIBI gratulor et laborem hunc exantlatum, quem lectoribus litterarum gnaris et veri rectique cupidis ſine dubio approbabis, et exoptatum ſtudiorum academicorum ſinem, quæ laudabili virium contentione in rem TVAM ipſarumque litterarum tractaſti gnauiſſe et feliciter. Conſlictui publico

EPISTOLA.

interero spectator magis quam moderator. Maiores enim partes meas non fore arbitror et confido in defendenda disputatione, quam fuerunt in eadem conscribenda, atque adeo pene nullas. Bonis verbis superfedeo. Nec meus in TE amor, neque virtus TVA commilitonibus explorata satis et comperta testimonio indiget. Vale igitur, carissime HERMANNE, DEO O. M. ardentissime commendatus rem TVAM age rectissime. Hallæ ad Salam in acad. Fried. d. VII. Sept. cl5 15 ccxxxiiii.



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

M. IO. GOTTLÖB KRÜGER.

Polygamiam illicitam esse demonstras, et recte quidem. Hominum puta, curuarum licita est et utilis. Frequens inde oritur locorum geometricorum generatio nunquam fatis laudanda. Foecundae matres. Ex curuarum familia est circulus primi generis, quem omnes norunt. Sed, ne solus sit, sistam circuli secundi generis depictam imaginem. Affectiones enim exposuerunt geometrae, non data constructione. Detur circulus primi generis, sit diameter $\equiv a$, abscissa $\equiv x$. Quærantur inter x et $a - x$ duæ mediae proportionales, prima harum erit y , seu semiordinata circuli secundi generis. Sic poteris omnia puncta determi-

nare. Demonstratio facilis: nam $x: y \equiv y: a - x$

$$\frac{x}{ax - x} \equiv \frac{y}{y}$$

$$ax - x \equiv y$$

Quæ est circuli secundi generis expressio. Sit $a \equiv x$: erit

$y \equiv x - x \equiv 0$. Ergo $y \equiv 0$. Vnde patet curuam in se redire. En circuli primi cum circulo secundi generis connubium.

bium. Proles exspectanda. Hæc tibi, Doctissime Domine
Candidate, non ingrata fore noui. Habui te in physicis et
mathematicis auditorem indefessum. Ipsi Algebræ re-
cessus adire non dubitasti. Philosophiam naturalem summo
excoluisti ardore, non ignorans, quanta sit eius in attributis
diuinis demonstrandis utilitas. Gratulor nunc specimen aca-
demicum eruditionis eximiae testem. Celebranda mihi es-
set solida tua et incomparabilis in theologia, philosophia
et mathefi scientia, commemoranda morum elegantia et
probitas. Sed laudibus non opus est, ubi res ipsa loquitur.



Th 135

ULB Halle

3


004 917 227



m. c.







Q. D. B. V.
DISSERTATIO THEOLOGICA,
DE

**POLYGAMIA SIMVLTANEA
ILLEGITIMA,**

INPRIMIS ETIAM EX NVMERO HOMINVM VTRIVSQUE
SEXVS IN TELLVRE FERRE AEQVALI,

QVAM

SVB VMBONE

VIRI SVMME REVERENDI, EXCELLENTISSIMI, AMPLIS-
SIMI, DOCTISSIMI

SIGISM. IAC. BAVMGARTEN,
S. S. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF.
PVBL. ORD.

PRAECEPTORIS AC PATRONI SVI AETERNVM DEVENERANDI,

D. SEPT. MDCCXXXIX.

ERVDITORVM EXAMINI PVBLICE SVBIICIET

AVCTOR

BENIAMIN CHRISTOPHORVS HERMANN,
GRÜNEBERGENSIS MESO-MARCH.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
LITTERIS IOAN. CHRIST. GRVNERTI, ACAD. TYPOGR.
RECUSA MDCCXLIX.

(5)